Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Tunc duo quidam honorati civitatis Ephesiorum nomine Atticus et Eugenius sequentes exempla supra dictorum vendentes omnia que habere potuerunt et dantes universa egentibus sequebantur apostolum per civitates euntem et verbum domini predicantem. Contigit autem intrantes urbem Pergamum videntes servos suos sericis indutos vestibus procedentes et gloria seculari fulgentes. Unde factum est ut sagitta dyaboli percussi corde tristes efficerentur quod se in uno pallio viderent egentes suos vero servos potentissimos atque fulgentes. Sed hos dolos dyaboli intelligens apostolus in eis ait: Video vos et animos vestros mutasse et vultus propter hoc quod doctrina domini mei Ihesu Christi secuti omnia que habere potuistis pauperibus contulistis. Unde si vultis recuperari vobis omnia que in auro et argento et lapidibus preciosis obtulistis, deferte michi virgas rectas in singulis fascibus. Quod cum fecissent invocato super eas nomine domini converse sunt in aurum. Item dixit eis: Ite deferte michi lapides minutos a litore maris. Quos cum exhibuissent invocata ab apostolo maiestate domini conversi sunt in gemmas. Tunc dixit eis sanctus apostolus: Per septem dies aut quantos volueritis ite per aurifices et gemmarios et dum probaveritis verum aurum nuntiate michi. Euntes autem ambo post septem dies reversi sunt ad apostolum dicentes: Domine omnium aurificum officinas circuivimus qui omnes dixerunt tam purum aurum se numquam vidisse. Tunc dixit eis sanctus Iohannes: Ite et redimite vobis terras quas vendidistis quia celorum predia perdidistis. Emite vobis sericas vestes ut pro tempore fulgeatis sicut rosa que dum florem suum habet et ruborem pariter et odorem ostendit repente marcescit. Suspirantes enim in visu servorum vestrorum aspectu vos effectos pauperes gemuistis. Estote ad tempus florentes ut marcescatis. Estote divites temporaliter ut in perpetuum mendicetis. Numquid non valet manus domini ut faciat servos suos divitiis affluentes et incomparabiliter splendentes? Sed certamen statuit animorum ut credant se eternas habituros divitias qui eius pro nomine temporales habere noluerint. Denique magister noster narravit nobis de quodam divite qui epulabatur cotidie in auro et purpura, ad cuius fores iacebat mendicans Lazarus qui cupiebat vel micas que de mensa eius cadebant accipere et nemo illi dabat. Contigit autem ut ambo morerentur et ille mendicus duceretur ad requiem que est in sinu Abrahe, ille autem dives mitteretur in flammam incendii. Unde et elevans oculos vidit Lazarum sedentem in sinum Abrahe et exclamavit dicens: Pater Abraham mitte Lazarum ut intinguat digitum suum in os meum quia crucior in hac flamma. Cui respondens Abraham ait: Memento fili quia recepisti bona in vita tua, Lazarus vero mala. Nunc autem iste consolatur tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos firmatum est magnum ut neque inde huc neque inde transire possint. Adhec respondit: Sunt michi quinque fratres obsecro ut surgat aliquis qui eos moneat ne huc deveniant in hanc flammam. Cui Abraham ait: Habent Moysen et prophetas audiant illos. Ad hec ille respondit: Domine nisi resurrexerit aliquis non credent. Et dixit Abraham: Si Moysen et prophetas non audiunt neque si aliquis resurrexerit poterunt ei credere. Hos autem sermones suos dictis et magister noster virtute firmabat et exemplis. Nam cum Atticus et Eugenius dicerent ei: Quis inde huc venit ut credamus ei? Sanctus Iohannes ait: Deferte huc mortuos quos habetis. Et cum ad portassent coram illo tria corpora mortuorum velut dormientia excitata sunt ab eo. Qui dabant fidem cunctis sermonibus eius. Tunc sanctus Iohannes dixit: Quid ego dedicto referam cum in presentia sint quos in nomine eius suscitavi vobis presentibus? In cuius nomine et paralyticos curatos vidistis et leprosos mundatos cecos illuminatos homines a demoniis liberatos. Sed has virtutum opes habere non possunt qui voluerint divitias habere terrenas. Denique vos ipsi quando ad infirmos intrastis quando invocato nomine Ihesu Christi salvati sunt, fugastis demonia, cecis lumina reddidistis. Ecce ablata est hec gratia a vobis et facti estis miseri qui eratis et fortes et magni. Et cum tantus timor esset demoniis ut iussu vestro obsessos homines derelinquerent modo vos timebitis demonia. Amator enim pecunie servus est mammone. Mammona autem demonis nomen est qui lucris carnalibus preest et dominatur his qui diligunt mundum. Ipsi autem amatores mundi non possident divitias sed ipsi a divitiis possidentur. Nam cum sit unus venter et sint reposita tanta que mille ventribus satis sint, et cum sit unum corpus et sint tante vestes que mille hominum corporibus prebere valeant indumenta, utique quod in usu non potest custoditur et cui custodiatur omnino nescitur, dicente sancto spiritu per prophetam: Vane conturbatur omnis homo et thesaurizat et ignorat cui congregabit ea. Nudos nos fuderunt partus mulierum egentes cibo, amictu, poculo. Nudos recipit terra quos edidit. In commune possidemus celi divitias, splendor solis diviti et pauperi equalis est.

144